

Dissertatio inauguralis medica de hydatidibus ... / publicae disquisitioni offert Joh. Jacob. Martini.

Contributors

Martini, Johann Jakob.
Winckler, Friedrich Christian, active 1665-1684.

Publication/Creation

Heidelbergae : Literis Samuelis Ammonii, 1681.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s89rvnng>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE

D. c. 6

HYDATIDIBVS

QVAM

FAVENTE NV MINE
CONSENSV ET AVTHORITATE

AMPESSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ELECTORALI ET PERANTIQVA
VNIVERSITATE

HEIDELBERGENSI

SVB PRÆSIDIO
VIRI

NOBILISSIMI EXCELLENTISSIMI ET
EXPERIENTISSIMI

DN. FRID. CHRIST. WINCLERI,

D. ARCHIATRI ELECTORIS PALATINI,

ET IN HAC VNIVERSITATE PROFESS. MED.

PRIMAR. p. t. FACVLTATIS EIVSDEM
DECANI SPECTATISSIMI

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC

PROMOTORIS SVI ÆTERNVM COLENDI,

PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA

HONORIBVS, INSIGNIBVS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

PVBLICÆ DISQVISIONI OFFERT

JOH. JACOB. MARTINI,

HEIDELB.

AD DIEM

SEPTEMB.

M. DC. LXXXI. H. L. Q. C.

HEIDELBERGÆ,

LITERIS SAMVELIS AMMONII,

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

CAROLO

D. G. COMIT. PALAT.
AD RHEN. S. R. I. ARCHITHES.

ATQVE PRINCIPI ELECTORI, DVCI
BAVARIÆ,
&c. &c. &c.

PATRIÆ PATRI,
PIO FELICI AVGVSTO
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

In sui studiorumque suorum commendationem
Hanc Dissertationem Medicam, eâ, quâ par est, animi submissione,
Consecrat & offert

SERENITATIS EJVS ELECTORALIS

Subjectissimus Servus

JOH. JAC. MARTINI.



A Ntequam ipsam rem describam placet etymologiam, synonymiam & homonymiam præmittere.

Hydatidum vocem Græciæ suam debere originem notum est; derivatur autem proculdubio à Gr. ὕδαρ, ατθ, aqua, pro quo ὕδωρ receptum est, hinc possent deduci ὕδατια, ὕδατιδης, &c. de quibus consule Græcos lexicographos.

Etymologia.

Alias

Varia sortiuntur nomina. Hydatica appellantur *Joh. Andr. Synonymia. SCHMITZ: comp. med. pract. p. m. 185. Vesicæ pustulosæ sero plenæ HOCHSTETTER. decad. 6. cas. 6. Vesicæ serosæ & abscessus aquosi BARTHOLIN. cent. 2. hist. anat. 67. pustulæ aqua plenæ eid. BARTHOLIN. cent. 3. obs. 80. abscessus aquâ clarissima plenæ. BORELL. cent. 1. obs. 38. SCVLLET. arm. chir. obs. 10. & 11. abscessus serosus s. cystis sero referta BONET. anat. pract. l. 1. sect. 1. obs. 46. §. 2. cystis s. sacculus serosum humorem continens. RIVER. obs. additar. 7. Globuli splendidâ lymphæ gelatinâ plenæ. Thom. BARTHOLIN. de biblioth. incend. §. 6. Membranacei aquâ scatentes folliculi. Henr. GLASER ap. PEYER meth. hist. anat. Med. cap. 6. Ova ap. SCHENCK obs. med. lib. 5. de dorso & spina obs. 5. immò vesiculas, seu potius ova s. n. alii hydatides appellant, vid. R. de GRAAF de O. M. p. m. 298. ut alia synonyma præteream. Germani appellant Wasserblasen. Lanio quidam in Helvetia hydatides Schmelzblattern vocabat, ceu colliquationis affectum; Nam oves hisce abundantes dicebat esse macilentiores ap. Joh. Jac. WEPFER Eph. Germ. cur. ann. 3. obs. 167.*

Differentiam nostrarum hydatidum & certarum hydatidum in palpebris inferiùs trademus.

Homonymia.

Considerato jam nomine ad ipsam rem me accingam.

Depinguntur autem à variis variè hydatides, *Theoph. BONET. Anat. pract. l. 1. sect. 2. in schol. ad obs. 15. & l. 2. sect. 8. obs. 6. in schol. dicit quòd sint pustulæ aqueæ, vesiculis illis non absimiles, quæ ab emplastris vesicatoriis seu epispasticis solent excitari; utrobique enim summa pelliculæ tenuitas & aquæ copia.*

HARTMANN. cum notis CARDILVCI *prax. chimiatri. c. 126.* scribit, quod sint tumusculi exigui pustulis similes seroso seu flatulento spiritu plerumque repleti. Quæ tamen minus conveniens, vel Hydatica sunt vesicæ aquâ plenæ in pulmonibus, jecore, &c. secundum *Joh. Andr. SCHMITZ compend. med. pract. loc. d.*

Descri-
ptio.

Taceo alias descriptiones, ubi dixero posse melius describi, quod sint vesicæ aqueum continentes liquorem, tunicâ duplici, ut plurimum præditæ, magnitudine & numero variantes, figuræ potissimum orbicularis in omnibus ferè corporis humani partibus repertæ, ex vasis lymphaticis ortæ, & obdifficilem cognitionem, adeoque curationem varia inducentes symptomata, uti ex sequentibus satis dilucidè apparebit.

Vesicas appello ob similitudinem; ut enim vesica urinaria & fellea appellatur membranacea cavitas in qua liquor continetur; ita non in commodè eandem ob causam hydatides vesicas vocare licebit, cum contineant lymphaticum vel serosum liquorem & membrana cingantur. Serum vel lympham eas continere demonstrat ipsa *autoψία*.

Tunica duplici ordinariò constant hydatides; teste GRAF *de O. M. c. XII.* triplici tamen præditas tunica vidit BALLONIVS *parad. 186.*

Magnitudo variat. *Nucis avellanae* magnitudine vidit WILLIVS *act. Hafn. Th. BARTHOLIN. anno 1674. 75. 76. obs. 76. Jacob. GREISEL. Eph. Germ. ann. 1671. obs. 5. & VVOLFSTRIGEL Eph. ann. ejusd. obs. 6. Christoph. HARDER Eph. Germ. ann. 1672. obs. 180. BONET. anat. pract. l. 1. sect. I. obs. 2. KERCKRING. obs. anat. 66. WEPFER hist. apopl. XV.*

Juglandis WEPFER *Eph. Germ. ann. 1672. obs. 129. VVILLIVS l. a. Ludov. SALTZMAN disp. inaug. de abscessu interno cum hydrope &c. Argent. 1671.*

Ovi columbini. Joach. CAMERAR. MEY *disp. de hydrope dextra tube uterina. Ultraject. 1678. DIEMERBROECK anat. l. 1. c. 12. KERCKRING. spicil. anat. obs. 10.*

Ovi gallinacei. MEY l. a. DIEMERBROECKI, c. INGRASSIAS *de tumorib. p. n. c. 1. HARVEIVS act. Societ. Angl. ann. 1668. & 1669. KERCKRING. obs. 10. BLASIVS obs. rar. 5. part. 5. SCVLTETVS armament. chir. obs. 10. & 11. WEPFER hist. apopl. XIV.*

Pyrimediocris idem WEPFER *Eph. Germ. ann. 3. obs. 167.*

Pomi PLATER: *obs. l. 3. p. m. 635. VVILLIVS act. Hafn. l. c.*

Mali cydonis BAVHIN. *append. ad ROVSSET: de partu casar.*
hist. 7.

Pila lusoria. VVOLFSTRIGEL *Ephem. Germ. ann. 1. ob-*
servo. 43.

Ovi anserini KERCKRING *obs. anat. 10.*

Pugni. VVILLIVS *l. d.*

Duorum pugnorum COITER *obs. anat. & chir. WILLIVS l. a.*

Capitis infantis alicujus Greg. HORST. *l. 5. obs. 33. imind*

Bovine vesicæ urinariae praegrandis magnitudinem superabat illa hy-
datidis ap. ZACVT. prax. adm. l. 2. obs. mihi 45.

Vti verò magnitudine, ita & numero variant hydatides; 52.
 erant ap. ZACVT. *Lusitan. med. princ. histor. l. 2. hist. 124. obs. 25. Ultra*
70. ab utero excretas observavit à VEGA art. med. l. 3. sect. 10. c. 13.
Plures quàm ducentas SOLENANDER sect. 5. consil. 15. vers. II. &
RIVER. obs. hinc inde decerpt. XV. Ultra 300. Joach. CAMERAR.
Ultra 800. CORDÆVS. comm. 5. ad. l. 1. HIPPOCR. de morb. mul. Intra 15.
dies 1000. fere vesiculæ humore aquoso refertæ egressæ ap. Dominic.
PANAROLL. pent. 1. obs. 16. Numerum non admittebant ap. WIL-
LIVM l. d. & VVEPFER Eph. Germ. ann. 1672. obs. 129.

Sed relicto numero, videamus figuram hydatidum, quæ ple-
 rumque orbicularis cernitur. Thom. VVARTHON. *adenogr. cap. XI.*
 attamen ad latera compressas, angulosas & acuminatas vi-
 dit VVEPFER *Eph. Germ. l. a. angulosam itidem idem VVEPFER*
hist. apopl. XV.

Quoad causas hydatidum, optimam ut ego arbitror, opinionem
 fovent qui earum generationem à lymphæ extravasata & lymphaticis
 vasis ruptis deducunt. Ruptis enim vasis lymphaticis interdum contingit
 lymphaticum liquorem non effundi in abdominis cavitatem, sed inter vi-
 cinas membranas effluere, atque tunc inde vesiculæ producuntur hydati-
 des appellatæ, quibus hepar interdum intus, sed frequentius foris, non
 nunquam etiam mesenterium, aliæque in abdomine partes scaterere
 deprehenduntur. Isbrand. DIEMERBROECK *anat. l. I. c. 12. ubi*
fufius.

Si contingat lymphæ ductus obstrui, quia valdè fragiles sunt, fa-
 cilè rumpuntur, & aquas suas exspuunt; Sin vero vasorum horum
 membranulæ fuerint tenaciores, ita ut distensionem notabilem absque
 laceratione ferant, in vesiculas quasdam aqua turgidulas attolluntur,

quas hydatides vocant; quamlibet autem vesiculam inter binas dictorum vasorum valvulas quam proximas efformari contingit; quia verò aqua nec prorsum propter obstructionem, nec retrorsum fluere potest ob valvularum interceptionem, interstitia intumescunt in figuram orbicularem, *Thom. WARTHON. adenogr. cap. XI. iisdem ferè verbis quoque utitur CHARLETON exercit. pathol. IX. §. VI. conf. Thom. BARTHOLIN. spicil. 2. de vasis lymphat. cap. 5. p. m. 88.*

Vasa lymphatica ad excitandas hydatides eo usque symbolum conferunt, quatenus malè suo defunguntur officio, intemperiem aut obstructionem passa. *Joh. Theod. SCHENCK exercit. anat. 6. l. 1. sect. 2. c. 25. conf. BONET. anat. pract. l. 1. sect. 2. in schol. ad obs. 51. & l. 2. sect. 8. in schol. ad obs. 6. atque Ol. RVDBECK de vas. glandul. seros. cap. 9. hinc incurrunt hydatides illi plerumq; qui à motu æstuantès frigidam aquam copiosè ingerunt; Lepores velocissimo cursu canibus tergora præbentes in hunc affectum incidunt frigidam subitò nacti, ut ait dictus SCHENCK histor. seri sanguin. c. 7. §. 25.*

Cùm ergò vesicæ aquæ originem suam debeant vasis lymphaticis, illa verò ubiq; sese diffundant, hinc est quod ejusmodi vesicæ omnibus penè partibus innascentur, atque in plerisque visceribus hydatides notaverit *BARTHOLIN. spicil. 2. de vas. lymphat. cap. 5. conf. Theophil. BONET. anat. pract. l. 3. sect. 21. obs. 21. §. 2. in Schol. Recentiorum namque docuit diligentia vix ullam corporis nostri partem vasis lymphaticis carere, teste Joh. van HORNE microcosm. §. 30. p. m. 44. vid. J. T. SCHENCK. histor. seri sanguin. cap. 4. §. 50. p. m. 24. Sic*

Pinguedinem vasa lymphatica penetrant; BARTHOLIN. de vasis dictis p. m. 204.

Inter musculos abdominis & peritonæum repunt vasa serosa. RVDBECK de vas. glandul. seros. c. 9.

In Omento lymphatica observata sunt; Joh. de MVRALT. clav. med. exerc. 8. in annex. §. 1. Gualter. CHARLETON œconom. animal. exerc. 9. §. 4. p. m. 223.

Vt & in Ventriculo. HORNE l. a. MVRALT. l. c. Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 9. edit. noviss. VVEPFER hist. apopl. X. in schol. p. m. 356. eaque æri incisa exhibet RVDBECK tab. 5. in messe aurea anatom. HEMSTERHVSII, Contrarium statuit Franc. GLISSON. tr. pecul. de ven.

de ventriculo & intestin. cap. 3. iniquens, credibile est nullos lymphæ ductus in ventriculo reperiri.

Intestinis vasa lymphatica non detrahit VVEPFER l. d.

Per mesenterium multa lymphatica decurrunt, teste DIEMERBROECK *anat. l. 1. c. 8* circaq³ illud luxuriant, ita censente BARTHOLINO *cent. 2. hist. anat. 67.*

Pancreas quoque multis vasculis lymphaticis donatur. DIEMERBROECK *anatom. l. 1. c. 9.* BARTHOLIN. *anat. ref. l. 1. c. 13. edit. dict.*

In hepate dari vasa lymphatica extra omnem dubitationis aleam positum est, vid. Thom. BARTHOLIN. *de vas. lymphat.* ubi passim, præsertim *c. 3.* & *hist. anat. l. d. ut & A. R. l. 1. c. 14.* DIEMERBROECK *anat. l. 1. c. 12. & 13.* & HORNE l. a. VVEPFER l. c. CHARLETON l. d. & c.

Ex vesicula fellis oriuntur quoque lymphæ ductus. BARTHOLIN. *de vas. lymph. cap. 5. A. R. l. 1. c. 15. edit. laudat.* & in explicatione *figura ari incisæ p. m. 204. ap. HEMSTERHUIS meß. anatom. CHARLETON œcon. animal. exerc. 9. §. 6.*

In Liene licet secundum CHARLETON l. a. *exerc. 9. §. 4. p. m. 223.* nulli adhuc sint reperti lymphæ ductus, quo cum etiam sentit GLISSON. *anat. hep. c. 45.* MOEB. *fund. phys. de usu lien. p. 381. Th. VVARTHON. adenogr. cap. 4. p. m. 13.* attamen Frideric. RVYSCH, *Medicus Hagiensis, anatomicus solertissimus & cadaverum conditor eximius,* (uti laudatur à Fr. de le boë SYLVIO *prax. med. l. 1. c. 24. §. 1.*) *ex liene* plurima vascula lymphatica non tantum ex ipsius superficie, verum etiam ex interiore parte arteriam splenicam nervosque concomitantia prodire observavit, & singularem methodum, quâ illa inveniri possint, describit lib. de valv. lymphat. eaque notat in omnibus animalibus ejusdem generis non esse æquè copiosa, & humanum lienem pauciora habere quàm vitulinum, allegante DIEMERBROECK *anat. l. 1. c. 12.* & Th. BARTHOLIN. *A. R. l. 1. c. 16.* imò *inter utramque lienis membranam* excurrunt lymphatica copiosa, instar retis cujusdam, teste eodem DIEMERBROECK l. 1. c. 15. conf. HORNE *microc. l. d.* Joh. Jacob. VVEPFER *hist. apopl. X. in schol. p. m. 356. ferem. LOSSIVM Profess. Witteb. disp. de languore lymphat. anasarca Witteb. 1673. & Joh. FLAMMERDING. disp. inaug. de tumorib. lienis thes. 8. Lugd. Bat. 1671. nec non Matth. TILING. anat. lien. cap. 15. per totum. Franc. de le boë SYLVIVM disp. med. V. Marcell. MALPIGH. de viscer. struct. exerc. de liene cap. 1.*

Renum vasis sanguiferis exilia quædam lymphatica interjici nonnullis putatur cit. DIEMERBROECK *anat. l. 1. c. 17.* conf. BARTHOLIN. *de vas. lymph. c. 7.* & *A. R. l. 1. c. 17.*

Capsula atrabilaria s. renes succenturiati lymphatica vasa quoque habent. Th. BARTHOLIN. *A. R. l. 1. c. 18.*

In lumborum regione circa ramos iliacos vasa lympham vehentia luxuriant. BARTHOLIN. *cent. 2. hist. anat. 67.*

In testibus virilibus lymphatica vasa sunt reperta. MVRALT. *clav. med. exerc. 9. in annex. §. 9.* Regn. de GRAAF *de. V. O. p. m. 35. seqq.* HORNE *microc. §. 66. p. m. 103.* & §. 30. *microc. p. m. 44.* nec non *epist. de genitalib. ad ROLFINC. annex. microc. ejusd. p. m. 120.* WILLIS *de anim. brut. part. 1. c. 5.* VVEPFER. *l. c.* RVDBECK *de vas. gland. seros. tabul. VII.* DIEMERBROECK *anat. l. 1. c. 21.* Thom. BARTHOLIN. *A. R. l. 1. c. 22.* &c. pariter quoque inveniuntur in *feminis.* MVRALT. *l. a.* HORNE *l. c.* Regn. de GRAAF *de O. M. c. 12. p. m. 296.* BARTHOLIN. *A. R. l. 1. c. 26.* conf. VVARTHON. *ap. DIEMERBROECK anat. l. 1. cap. 23.*

In Utero vasa lymphatica concedunt §. 7. VVEPFER *l. a. & hist. apopl. XIII. in schol. p. m. 383.* GRAF. *d. O. M. c. 8. p. m. 247.* HORNE *microc. p. m. 44.* Guern. ROLFINC *de org. generat. part. 2. c. 26.* RVDBECK *de vas. seros. tab. 8.* GLISSON. & VVARTHON. *ap. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 28.*

In Placentâ, s. uterino hepate venis & arteriis intermisceri lymphatica vasa, eaque simul cum iis fetus umbilicum ingredi putat VVARTHON. *ap. DIEMERBROECK anat. l. 1. c. 29.* qui conf.

In mammis lymphæductus adesse non est quod quis dubitet, inquit DIEMERBROECK *anat. l. 2. c. 2.* & copiosa occurrunt. BARTHOLIN. *A. R. l. 2. c. 1.*

Lymphæductus per thymum decurrentes & in venam sub claviam se exonerantes frequenter se vidisse refert occultatissimus VVARTHON. *alleg. DIEMERBROECK an. l. 2. c. 4.* BARTHOLIN. *A. R. l. 2. c. 4.* &

Pericardii liquorem ex lymphaticis quibusdam vasculis in illud deponi suspicatur STENO cit. sæpius dicto DIEMERBROECK *anat. l. 2. c. 5.* conf. BONET. *anat. præct. l. 2. sect. 8. obs. 6. in schol. pericardio* quoque ut & *Cordi* lymphæductus tribuit Gualter. CHARLETON. *œcon. animal. exerc. 9. §. 5. p. m. 224.* & BARTHOLIN. *A. R. l. 2. c. 5.* & 6.

Pulmones totos ingens satellitium vasorum lymphaticorum perreptat, uti
anatomica

anatomica αυτοψία constat, teste WILLIS *pharm. rat. part. 2. sect. 1. cap. 1. § 13.* Lymphatica vasa in pulmonibus se vidisse scribit professor accuratissimus Frid. RVYSCH. *lib. de valv. lymphat.* citante DIEMER-BROECK *anat. l. 1. c. 12. § 1. 2. c. 13.* eadem vasa per pulmonum superficiem proserpentiā observavit & depinxit Ol. RVDBECK *de vas. seros. in mes. aurea. HEMSTERHUIS, edit. HEIDELB. 1659. tab. 1. fig. 1. § tab. 2. conf. Joh. van HORNE microcosm. § 30. p. m. 44. BARTHOLIN. A. R. l. 2. c. 9.*

In mediastino. conf. HORNE *l. d. Th. BARTHOLIN. A. R. l. 2. c. 4.* eaque æri incisa exhibet RVDBECK *l. c. tab. 3.*

In capite esse vasa lymphatica satis copiosa, observationes insignium anatomicorum posteritati exhibitæ vel hoc tempore evincunt. *Joh. MVRALT, exerc. 2. de lymph. § saliv in annex. §. 4.*

Vasis lymphaticis cerebrum destitui non putat FLAMMERDING. *disp. de apopl. thes. XI.* consentit BARTHOLIN. *cent. 4. hist. 38.* atque BONET, *anat. pract. l. 1. sect. 12. obs. 6. in schol.*

Sub cerebri meningibus triduo post mortem militis à contusione cranii mortui & dissecti hinc inde manifestè vasa lymphatica disseminata conspexit *Jerem. LOSSIVS M. D. § Profess. Witteb. in dictâ disp. de anasarca. §. 10. & Exc. D. PRÆSES in nosocomio SERENISSIMI, in militis apoplexiâ mortui cadavere eadem observavit ann. 1665.*

Vt de aliis partibus taceam, ex gr. de vasis lymphaticis in palpebris, quæ industriâ singulari *Henrici MEIBOMII Prof. Helmstadiensis celeberrimi* detecta habemus; hæc tamen adenographo accuratissimo STENONI attribuit HORNE *microc. §. 54. p. m. 84. conf. eund HORNE p. m. 44.*

Vasa salivalia in buccis debemus *Nic. STENONI* Thaumaturgo & anatomico excellentissimo.

In narium septo observata quoque lymphatica; teste HORNE *p. 44.*

In cute id. STENO ap. BARTHOLIN. *A. R. l. 1. c. 2. p. m. 20. § 21.* Hæc sufficient; omnes enim illas partes recensere, in quibus lymphatica visa, nimis foret prolixum; rectissimè ergò faciunt illi, qui in omni ferè corporis parte vesiculas aqueas generari statuunt, quod & sequentes testabuntur observationes. Sic

In cadavere mulieris sexagenariâ majoris ascite extinctæ mem-

In membrana pinguedini substrata

brana pinguedini substrata hydatidibus hic illic scatebat, uti observavit

vit Dr. GLASER ap. Th. BONET. *sepulchret. l. 3. sect. 21. obs. 21. §. 1.* quæ obortæ sunt sero pelliculas à subjectâ pinguedine divellente; GLASER in *schol. ap. BONET. l. a.*

In abdomi-
nis musculis.

In apertione cadaveris feminae hydropicæ *abdominis musculorum* tota facies interior in vesicularum quoddam corpus continuum, majorum & minorum, partim aquâ limpidâ, partim mucore refertarum conversa fuit, vel, quod credibilius, abdominis muscoli extreme attenuati unâ cum peritonæo à membranâ carnosâ abscesserunt, aqua ibidem fluctuante. *Joh. AICHOLTZ apud SCHENCK obs. l. 3. de hydropæ obs. 4. p. m. 431.* quæ proculdubio acciderunt seroso humore cum sanguine ad capillares venas, quæ visceribus & partibus ventris inferioris inseruntur, delato, ibique exitum quærente, quem cum ob densitatem membranarum non inveniret, vesiculæ hæ fuerunt excitatæ. *Dan. SENNERT. Med. pract. l. 3. part. 6. sect. 2. c. 3.*

Generationis hydatidum *inter musculos abdominis* modum sequentem tradit naturæ arcanorum scrutator maximus (uti laudatur à *Joh. van HORNE microcosm. §. 30. p. m. 45.*) *Ol. RVDBECK de vas. glandul. seros cap. 9.* Si vasa, inquit, serosa quæ inter musculos abdominis & peritonæum repunt, (videre ea licet in tabulâ ejus II. fig. 1. h. h. h. h.) aliquo obstaculo occluduntur, vesiculæ eo in loco generari possunt.

In & ex
abdomine.

Femina annor. circiter LX. abdominis tumore defuncta exhibuit *in abdomine inter uterum & vesicam urinariam* corpus quoddam heterogeneum mentulam virilem mentiens substantiâ membranæâ, intus inæquali, ob plurimos globulos membranaceos ibidem affixos, quibus adfuit aqua limpidissima infaretu suo mentulæ rigiditatem concilians: ad hujus mentulæ radicem ovalia duo corpora, testibus similia conspiciebantur aquâ plena: inflictio huic heterogeneo corpori vulnere mox vesicæ & globuli membranacei plurimi erupere cum magna vi aquarum, aderant quoque vesicæ aut involucra, & in his itidem minora, humore farcta limpido, sed neq; in his eadem erat ubique dispositio: quædam enim involucra septem duntaxat, vel octo vesicas prodebant, rotundas & duras instar pilarum vento turgidarum: quibus dissectis minorum globulorû membrancorû stupenda caterva emerfit aquâ plenorum & similium ovis sine testâ. Alia involucra incredibilem vesicarum struem continuere variaz magnitudinis, promiscuè

seuè & turmatim erumpentium , nec , uti priores, gravidarum. Contentorum varietas diversam vesicis globulisque tincturam indidit; erant enim albi, rubri & opaci; humor plerisque fuit limpidus, tenuis & pellucidus, aquæ instar purissimæ. Ex observatione D. de HOVPPEVILLE Gallicè editâ, Latinè redditâ à Nobil. Dn. J. C. PEYER, amicè communicata BONET anat. pract. l. 3. sect. 21. obs. 35.

In apertione cadaveris ancillæ hydropticæ ann. 1671. d. 26. April. in abdomine infinitæ erant hinc inde hydatides variæ magnitudinis (de qua supra.) Ludov. SALTZMAN disput. med. inaug. de abscessu interno insignis magnitudinis cum hydrope & aliis notatu dignis in ancillâ Argentorat. observato ann. 1671.

Anno 1591. in femina octogenariæ hydropticæ infernâ abdominis capacitate copiosa filamenta nervea , quæ eodem ferè modo, ut in ventriculis cordis , ast copiosiora erant , & hinc inde vesiculas fecerant, quibus pertulis aqua effluebat deprehendit P. PAWIVS obs. anat. V.

In plerisque abdominis locis hydatides adnatas in puero maniaco vidit Th. BONET. sepulchret. l. 1. sect. 8. obs. 2. in schol.

In tumore infra cartilaginem ensiformem aperto eruperunt plurimæ vesicæ, partim disruptæ partim integræ tenui & pellucidâ aquâ refertæ; Vesicarum secundùm observationem Medicorum & adstantium fuisse ultra trecentas compertum, quæ vix capaci satis vase, quod quatuor libras continebat , excipi potuerunt. Ex observatt. Joachim. CAMERARII.

Ex abdomine hydroptici vesiculas plures quàm ducentas , quæ referebant ova gallinarum, sed mollia, aquâ putridâ plena , extraxit Reiner. SOLENANDER sect. V. conf. XV. versicul. XI.

Virgo 20. circiter annorum suspiciosa & cachectica ann. 1655. scirrho hepatis , tempore exulcerato , laborans per foramen ventris ulcerosum ac squalidum , paulò supra umbilicum adaperitum, hydatides seu vesiculas aqua turgidas aliquot vicibus, & quidem primò XI. post VIII. tertio ad XII. usque; copiosas itidem aqua plenas, quas ipsemet vidi , adhuc integras , atque discidi , iterum ejecit, summaque vi protrudit, ut dicit Felix. PLATER. Fel. ex Fr. Thom. Med. nep. obs. selectior. mantiss. Fel. PLATER. obs. adjectar. obs. 18.

Rusticus quidam hydropticus factus abscessum passus est in dex-

tra parte abdominis, eoque aperto infinitus prope modum vesicularum aqua repletarum numerus egressus est, ut ducentarum numerum excederet, idque per plurium dierum spacium, & sic omninò curatus est. *Lazar. RIVER. obs. hinc inde excerptar. XV.*

In Peritoneo, ut & inter peritoneum & intestina.

In phthifici & hydropici *peritoneo* vesiculas inæquali magnitudine aquâ limpidâ plenas, notavit *Volcher COITER obs. anat. p. 117.*

In muliere, quæ novem menses uterum gestare putabatur, sed instante partus tempore præ dolore ob abdominis tumore mortua est, *peritoneum* vesiculis aquâ limpidissimâ plenis, triplici tunicâ præditis, oblitum erat: *BALLONVS parad. 186.*

In femina pluribus annis de tumore ventris queribunda *inter peritoneum & intestina*, binas vesicas, quarum una bovinæ vesicæ urinariæ (mirum dictu) prægrandis magnitudinem superabat, quibus disruptis tanta fœtidæ lividæque aquæ copia mucoso humori permixta effluxit, ut vas triginta librarum capax adimpleret, invenit *Nicol. FONTAN. ap. ZACVT. Lusitan. prax. adm. l. 2. obs. m. 45.*

In femina quinquagenaria ascite ex subpressis hæmorrhoidibus orto laborante *inter peritoneum & intestina* numerosam vesicarum struem, quæ bullæ aquatilis instar molles & lucidæ, inter se conjunctæ numero 52. erant, & ovi magnitudinem non excedebant, vidit *ZACVT. Med. princ. histor. l. 2. histor. 124. obs. 25.*

In omento.

Anno 1580. in cadavere mulieris hydropicæ multas vesiculas intra particularem pelliculam per se aquam continentes *circa omentum* per ejusque substantiam dispersas; & eodem anno omenti portionem cum vesiculis multis aquâ repletis apertâ in umbilici regione vomica excidisse observavit. *Hippol. BOSCVS de facult. anat. lect. 2. p. 17.*

In muliere, quæ novem menses uterum gestare putabatur, sed instante partus tempore præ dolore ob abdominis tumorem mortua, *epiploon* vesiculis aqua putissima & limpidissima plenis, oblitum erat; Et quod magis mirandum, unicuique vesiculae triplex erat tunica, & incolumis integraque à corpore, sive esset superficies, sive interior substantia detrahi poterat. *BALLON. parad. 186.*

Anno 1666, die 15. Maij in femina 23. annor. phthifica *circa omentum* hydatides plurimas, quarum una ex pluribus compacta erat, & materiam continebant subacidam, invenit *Leidensium Æsculapius Magnus ille Franc. de le boë SYLVIVS ap. Alard. Herm. CVM MEN. in Ephem. Germ. cur. ann. 1672, obs. 119.*

Sic mense Decembr. ann. 1679. ut & d. 14. Januar. & 9. Dec. 1680. in omento porcino hydatidem insignem, limpida aqua plenam, reperi.

In mulieris hydropicæ *ventriculo* cystides pendulæ conspectæ aqua citrina oppletæ. *Maurit. CORDÆVS comm. 5. ad lib. 1. HIPPOCR. de morb. mul.* In ventriculo,

In muliere annor. 48. hydrope *ventriculi* correpta, ejus membranam interiorē multis hydatidibus, partim integris, partim exesis conspersam, ut & in medio pylori ipsiusque limite cystidem pendentem, longitudinis medii digiti, pollice paulò crassiorē, aqua pellucida plenam, cavitatemque duodeni subintransem vidit *Anton. JODON, obs. Laz. RIVER. communicat. p. m. 663. 664.*

Circa glandulas conglobatas quasi scrophulosas *circa ventriculum* in fœmina 23. annor. phthifica multæ erant hydatides, uti observavit *Franc. SYLVIVS ap. Alard. Herman. CVM MEN. in Ephem. Germ. cur l. d.*

Intestina in feminis hydropicis vesicis scatuisse notavit *Maurit. CORDÆVS la.*

In phthifici & hydropici cadavere ubique *intestinis*. vesiculas inæquali magnitudine, easque aqua limpida plenas, adhærentes invenit Norimbergensis reipubl. Poliater, anatomicus & chirurgus celeberrimus (sic laudante *Herm. CONRING. introd. in univ. art. Med. cap. 4. §. 9. p. m. 88.*) *Volcher. COITER obs. anat. p. 117.* In intestinis.

In juvene frigore propemodum enecto & tandem apoplexia mortuo ab *intestino colo* hydatides plurimæ aqua limpida turgidæ pendent: vid *WEPFER hist. apopl. XVI. p. m. 423.*

In *colo intestino* peculiare hydatidum genus (quarum descriptio habetur de vesicis in hepate) in lepore annotavit *J. V. WILLIUS act. Phil. & Med. Hafn. Thom. BARTHOLIN. ann. 1674. 75. 76. vol. 3. obs. 76.* De hydatidibus in ~~intestino recto~~ vid. supra de vesiculis in ventriculo.

Loco glandularum mesenterii vesicas venulis ejusdem implicitas & tectas, uti & toti *mesenterio* hinc inde adnatas ultra XX. diversæ magnitudinis, aqua limpidissima turgentes, quarum una omnium maxima In mesenterio,

(capitis infantis alicujus mole) erat, à quâ maximâ sex adhuc par-
 tibus minores pugnum æquabant, quæ omnes inter se connexæ
 ova gallinacea, partim ad matutitatem perducta, partim adhuc va-
 ria magnitudine succrescentia egregiè repræsentabant, in fœminæ
 tumore ventris laborante vidit experientissimus *Greg. HORST. lib. V.
 obs. XXXIII.*

In *mesenterio* hinc inde vesicas pustulosas sero plenas luxuriante
 notavit *HöCHSTETTER. decad. VI. cas. 6.*

In *mesenterio* hydatides aliquoties in nosocomio Medicinæ studio-
 sis exhibuit *Isbrand. de DIEMERBROECK anat. l. 1. c. 12.*

Virgo dissecta post obitum ob aquam intercutem, ostendit in *me-
 senterio* suo insignem tumorem, ponderantem libras XX; tectum qui-
 dem extrinsecus membranæ involucre, sed intus refertum pluribus
 vesiculis limpida aqua distentis; uti vidit consul Amstelodamensis
 dignissimus, & Medicus, sicut in praxi felicissimus, ita in observati-
 onibus accuratissimus (hoc encomio afficitur à *Theod. KERCKRING
 spicil. anat. obs. X.*) *Nicol. TVLPIVS lib. 2. obs. cap. 34.*

Circa mesenterium vesiculis variz magnitudinis hydropicorum a-
 quas inclusas detineri observavit eruditissimus & in praxi Medica ver-
 satissimus *Wolfgang. HöFER. Hercul. Med. lib. 3. c. 2.*

In muliere *mesaræum* vesiculis triplici tunica præditis aqua purissi-
 ma & limpidissima plenis, quæque integræ à corpore detrahi pot-
 rant, obitum erat. *BALLON. parad. 186.*

Vesiculas plurimas liquore plenas in adolescentis phthisico-hy-
 dropici anatome *universum* ad intestinorum cellulas usque *mesenterium*
 occupantes, atque illius glandulas & vasa omnia abscondentes, ut de-
 tegi difficulter potuerint, se vidisse scribit *Job. Jac. HARDER ad Job.
 Conrad. PEYER, in meth. hist. anat. Med. cap. 6. in schol.*

In phthisici & hydropici cadavere *mesenterio* ubique vesiculas inæ-
 quali magnitudine, easque aqua limpida plenas, adhærentes reperit
Volcher. COITER obs. anat. p. 117.

Abscessus aquoso humore & liquore differtos ann. 1578. in *mesen-
 terio* fœminæ sexagenariæ notavit *PAREVS lib. 23. c. 36.*

Vesicas limpidissima aqua plenas *mesenteris* porcorum adnasci la-
 nii sæpius se observasse prædicarunt & aliquoties ostenderunt *Felice
 PLATERO obs. l. 3. p. m. 635.*

In multis porcis ann. 1653. apparuerunt ova quædam sine testâ ~~in~~ *mesenterio*, quæ magnitudine ova gallinacea æmulabantur & subventanea visa, sed præter aquam limpida nihil continebant, diutius enim coctis non induratus fuit liquor. Unde abscessus credo aquosos esse, seu vesiculas serosas ex vasis nostris lymphaticis, quæ circa mesenterium luxuriant, exortas. *Th. BARTHOLIN. cent. 2. hist. anat. 67.*

In *mesenterio* aliisque locis capræ multas vesiculas splendentes, quæ dissectæ intra folliculum seu tunicam singularem serum salsum seu mucilaginem recondebant, humoris vitrei instar, cum alia flavente substantia, conspexit idem *Th. BARTHOLIN. hist. anat. var. cent. 2. hist. 49.*

Mesenterium peculiari hydatidum genere (uti describentur intra de hydatidibus in hepate) gravatum in sectione leporis animadvertit *Joh. Valentin. WILLIVS act. Med. Hafn. Thom. BARTHOLIN. ann. 1674. 75. 76. vol. 3. obs. 76. p. m. 135.*

Hydatides sive vesicas quasdam aqua plenas pellucidas *epatis substantie*, membrana ejus ab humore aquoso distenta, annatas fuisse, nunc majores, pugni scilicet magnitudine, nunc minores, nunc plures, nunc pauciores, sæpè observatum est, non solum in homine, sed & brutis: teste *Dan. SENNERT. Med. pract. l. 3. part. 6. sect. 1. c. 6. conf. Godofr. MOEB. fundam. Med. physiol. cap. 14.* *In hepate.*

Ann. 1673. in pueri annor. 12. *hepatis profundo* hydatides observatæ à *GLASERO alleg. BONET. sepulchret. l. 3. sect. 21. obs. 4. §. 11.*

Ann. 1678. d. 17. Junij in virgine annor. 43, abdominis tumore laborante *hepar* extrinsecus multis hydatidibus, quarum aliæ ovi columbini, aliæ ferè ovi gallinacei, aliæ minoris erant magnitudinis, oblitum erat. *Joh. MEY disput. de admirando dextra tuba uterina hydrope. Ultrajecti habit. ann. 1678.*

Hydatides plurimas, magnitudine eadem qua proximè antecedentes, in suspenso furis cavâ *hepatis parte* anno 1647. demonstravit *Guil. STRATENVS ap. Isbrand. de DIEMERBROECK anat. l. 1. c. 12.*

Ad hepatis regionem vesiculas minores, quæ discissæ aquam continebant, vidit *Thom. BARTHOLIN. cent. 4. obs. 25.*

In N. N. hepatis parte gibbâ repertam esse vesicam grandiore, instar nivis candidam, pellucidam, aquoso confertam humore, hydropis prænunciam, notat *A. THONERVS l. 6. epist. med. 2.*

Vesicas tenuissimas, pellucidas, aqua distentas, pomi magnitudinem nonnunquam æquantes, majores, minores, *hepatis substantie* accrevisse

crevisse in cachecticis dispositis ad hydropem, uti & ascite mortuis sæpè invenit, & similes *ex hepate & liene* simiæ quam plurimas citra sectionem expressit, integrasque seroso humore subrubro refertas manibus excepit *Felix PLATERVS obs. l. 3. p. m. 635. & prax. l. 3. cap. de extuberant p. m. 254.*

Comitissæ asciticæ *hepar* hinc inde fissum, in eoque vesiculas multas sero citrino plenas & turgentes illic adnatas vidit *Thom. PLATER, ap. Fel. PLATER. obs. l. 3. p. m. 648.*

Ex tumore juvenis è *directo regionis hepatis* ad subpurationem tendente & scalpello aperto, mirandum dictu, multæ vesicæ gallinarum ova, seu, ut melius dicam, internos piscium globulos repræsentantes apparuerunt, quæ aquoso humore repletæ & integræ & fractæ quotidie cum pure modico egrediebantur, ita ut intra XV. dies & amplius ferè mille vesiculæ sint egressæ, sed cùm æger in deterius laboretur, mortuus est. Secto corpore *hepar* in convexâ parte totum vesiculis tam parvis quàm magnis refertum erat. *Dom. PANAROL. pent. V. obs. med. XVI.*

Tres vesiculas minores, quæ discissæ aquam continebant, ad *hepatis regionem* in matrona hydropica notavit *Th. BARTHOLIN. cent. 4. obs. 25.*

Hepar in muliere sæpius allegata vesiculis aquâ purissimâ & limpidissima plenis, oblitum erat. *BALLONIVS parad. 186.*

Hepar hydropicæ vesicis tectum obpressumque foris invenit *Maurit. CORDÆVS comm. 5. ad. l. 1. Hipp. de morb. mul.*

Hepata extrinsecus vesiculis aqua limpida repletis scatentia invenit *Isbrand. DIEMERBROECK anat. l. 1. c. 12.*

In hydropico *hepati* multas aqua limpida plenas vesicas adhæsisse observavit *Volcherus COITER obs. anat. p. 117.*

Hydropici dissecti *hepar* quam plurimis vesicis aqua plenis scatuisse Patavii vidit *Ioh. BILGER ap. Greg. HORST. l. 4. obs. 47.*

In viri *cardialgia* extincti *hepate* vesiculas nonnullas aqua plenas, quibus disruptis aqua profluxit fusca, foveam post se relinquens, causticam dixisses, offendit id, *BILGER ap. HORST. tom. I. p. m. 142.*

Pecudum boumque jugulatorum *jecur* hydatidibus scatere sæpè deprehensum est. *Ioh. FERNEL pathol. l. 6. c. 8. & GALEN. ap. Ol. RVDBECK de duct. hepat. aquos cap. 4. conf. Christ. à VEGA comm. ad eph. HIPPOCR. 5. sect. 7.*

In leone

In leone seniore in *hepatis convexâ parte* duas *hydatides* reperit
Laurent. WOLFSTRIGEL Eph. Germ. cur. ann. 1671. obs. 6.

Boum & multarum vaccarum *respiratione anhelâ & tussiculâ* laborantium *hepar* innumeris replebatur aquosistumoribus; membrana crassissima *corneæ oculorum* nec duritie cessit nec colore. Vulnerati tumores quidam aquam *salsam, plerique vel flavescentem, vel viridiusculam amarescentem* effuderunt. Rarus erat tumor magnus, cui non complures minores *includerentur, pari omninò tunicâ vestiti, nonnullis ex eadem membrana parietes erant & septa.* *Joh. Valentin. WILLIVS in act. Med. Hafn. Thom. BARTHOLIN. ann. 1674. 1675. 1676. vol. 3. obs. 76. p. m. 132.*

Hepar porci, in cujus cor bacillus acutus, puerilem digitum minorem longitudine æquans jam à semestri adactus erat, vesicis aquâ flavâ plenis refertissimum Basileæ ap. Fel. PLATER. vidit Henr. ab HEER observ. Med. oppido rar. XI.

In multis porcis 1653. *maçtatis apparuerunt ova quædam sine testâ, in hepate, quæ magnitudine ova gallinacea æmulabantur, & subventanea visa, sed præter aquam limpidam nihil continebant; diutius enim coctis non induratus fuit liquor.* *Thom. BARTHOLIN. hist. anat. rar. cent. 2. hist. 67.*

In duorum porcorum *hepatibus* *hydatides satis magnas, tunicisque robustis constantes in circumferentia adnatas* vidit *Henr. PETRÆVS nosolog. harmon. tom. 2. dissert. 35. §. 14.*

Hepar suis domesticæ voracissimæ totum aquæ vesiculis plenum observavit Joh. BILGER. l. a.

Ann. 1679. *in jecore porci hydatidem rotundam satis capacem, & limpidissima aqua refertam, ego inveni.*

Vesiculas aqueas albicantes numero multas, quæ dissectæ intra folliculum seu tunicam singularem serum cum pituita seu mucilagine recondebant, aliamque flavam substantiam in capreæ cicuratæ hepate vidit *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. cap. 14. & histor. anat. rar. cent. 2. hist. 49.*

Vesiculas splendidas in capreæ sylvestris hepate frequentes notavit dictus Thom. BARTHOLIN. de vas. lymphat. cap. 7. & histor. anat. l. a.

In sectione felis *hepar vesiculis humore ex albo flavescente plenis intramuisse animadvertit Olav. RVD BECK de duct. hepat. aquos: cap. 4.*

In muris alpini convexâ hepatis lobi maximi parte abscessus conspiciebatur pustulosus, & quodammodo cartilaginofus, hydatidibus satis magnis resperfus, quæ compunctæ aut dissectæ, aquam puram fundebant, *Georg. Hieronym. VELSCH. Ephem. Germ. curios. ann. 1670. observ. 160.*

In gallo Indico emaciato post obitum dissecto pendulus sub cavo ad parenchyma jecoris enatus folliculus sero plenus adparebat, qui postquam lancetta pertusus, mirum quanta inde feri copia effluens universam galli alvum & mensam inundaret; *Job. Theod. SCHENCK exercit. anat. VI. l. 1. sect. 2. c. 25.*

Peculiare genus hydatidum anno 1675. in lepore masculino ruri mortuo vidit *Job. Valentin. WILLIUS in act. Phil. & Med. Hafn. Th. BARTHO-LIN. ann. 1674. 75. 76. vol. 3. obs. 76. p. m. 135.* Hepar nigrius solito innumeris hydatidibus refertum erat, quæ racematim sibi cohærebant, & uno quasi pediculo membranæ hepatis adnascebantur. Ultra decadem horum botrorum hepati adhærebant, funiculis quidam saltem, quidam etiam vesiculis. Singula botri bacca peculiari tunica à reliquis separabatur, omnes tamen communis in unoquoque botro membrana involverat. Cristalli instar omnes splendebant, quasi tot humores crystallini uno racemo contenti & pellucidissima pellicula tecti essent, quæ tamen sat valida densaque erat singulis, & vulnerata humorem exprimi passa est vitreo oculorum haud absimilem. Quælibet tamen etiam bacca maculam albam habuit, instar chalazæ ovorum, quarum icon videre est apud eundem l. a.

Circa hepatis venas hydatides quamplurimas videre sæpius contigit profectori nobilissimo juxta ac felicissimo *Theod. KERCKRING*, Medico Amstelodamensi celeberrimo (uti laudatur à *GARMANNO dissert. de ovo human. §. 10. p. m. 4.*) *spicil. anat. obs. LXX. & X.*

Hydatides ab hepatis membranâ liberatæ in cavitate abdominis hinc inde discurrunt, quod admirationem utique meretur. *Job. Theodor. SCHENCK histor. ser. sanguin. cap. 7. §. 24.*

Ex bilis
vesicula.

Vesicas tenuissimas citrina aqua turgentes è bilis vesicula exemit felix ille *Felix PLATER. obs. l. 3. p. m. 635.*

In Liene,

In feminæ hydropicæ abdomine lienem totum vesicis pendulis tectum obpressumq; foris observavit *Maurit. CORDÆVS lib. sapius dicto.*

In muliere ap. *BALLON. parad. 186.* sæpius dicta, lien vesiculis aqua purissima & limpidissima plenis obsitum erat.

In phthi.

In phthifici & hydropici cadavere *lieni* vesiculas inæquali magnitudine aqua limpida plenas, ubique adhærentes invenit COITER *obs. anat.*

In suspenso *sub liene* deprehendit vesicam duorum pugnorum magnitudine aqua plenissimam, & eam à vicinis partibus absque læsione separavit dictus COITER *in obs. anat. & chirurg.*

Vesicas tenuissimas ex *liene* simiæ quamplurimas citra sectionem expressit, integrasque seroso humore subrubro refertas manibus excepit Felix PLATER *obs. l. 3. p. m. 635. vid. ejusdem prax. l. 3. de extuberant. p. m. 254.*

Vesiculas *in liene* ovis, conformes iis, quæ hepatis interdum adnascuntur, deprehendit Matth. TILINGIVS *anat. lien. sect. 3. cap. 3. p. m. 412.*

Lieni vicinam vesicam aquâ plenam in ascitico vidit Carol. RAYGER *Eph. Germ. cur. ann. IV. obs. 3.*

Per *lienis* longitudinem substratam vesiculam humore flavo crasso plenam reperit CRVCIVS *de quasit. cent. 1. p. 25.*

In anatome celeberrimi Med. Doct. Phil. Jac. SACHS à Levvenhaim. S. R. I. Acad. nat. curios. Adjuncti *ren sinister* extrinsecus nonnullis hydatidibus erat conspersus, teste J. D. MAJOR *memor. SACHSIAN. cap. 1. annex. Ephem. Germ. cur. ann. IV. & V.* In Renibus

Reνες intus & extra hydatidibus refertos in puero maniaco reperit Theoph. BONET, *anat. pr. l. 1. sect. 8. obs. 2.*

In rene sinistro & dextro viri cujusdam phthisi extincti plures hydatides & cavitates aqua limpida repletas invenit ingeniosissimus Th. WILLIS (optimè de anatomia meritis, cujus diligentiam suspicit, scientiam veneratur KERCKRING *obs. anat. VIII.*) *pathol. cerebr. cap. 9.*

Anno 1675. in viro annor. 56. hydrope pectoris mortuo, *renes, dextrum* præsertim, hydatides obsidebant. BONET, *anat. præct. l. 2. sect. 1. obs. 127.* ex communicatione Stephan. DENTAND chirurgi Genevensis.

In sectione nobilis ascitici vesicas aliquas aquâ plenas *renum* corpori adnatas vidit Fel. PLATER *observ. l. 3. p. m. 647. & prax. l. 3. c. 3. p. m. 260.*

Aperto abdomine puellæ 17. annorum cachecticæ, superveni-
entibus convulsionibus mortuæ *ren dexter* defuit, ejusque locum oc-
cupârat vesicula lymphæ turgida, renis naturalis magnitudine, cui
plurimæ aliæ vesicæ aqua plenæ erant annexæ, rene sinistro magnitu-
dinem naturalem excedente, uti anno 1680. Basileæ observavit *Joh. J.*
HARDER M. D. & Phil. Profess. ibid. ceu hac habeo ex relatione *D.*
Davidis ZOLLICOFERI. Med. St.

In *renis dextri* externa superficie circa extremitatem superiorem
vesicam pellucidam sero repletam, quæ nihil aliud erat, quàm pro-
pria & proxima renis membrana, à regurgitante per obstructi re-
nis substantiam sero ita elevata, in viro ischuriâ mortuo vidit *Georg.*
SEGERVS Eph. Germ. cur. ann. 1671. obs. 23.

In mercatoris ischuria de mortuo *rene dextro* vesiculas aqueas no-
tavit *Lucas SCHROECK, F. Luc. Eph. Germ. ann. IX. & X. obs. 179.*

In *rene dextro* pueri marasmo defuncti vesiculas plurimas sero
impletas vidit *Salom. REISEL, Eph. Germ. ann. VIII. obs. 31.*

In anatome viri hypochondriaca affectione mirè divexati tan-
demque hæmoptoici *renem dextrum* in parte superiori extorsum cy-
stide, ad magnitudinem pilæ lusoriæ, sero subflavescente turgida, qua
dissecta humor cum impetu proruit, donatum invenit *Laurent.*
WOLFFSTRIGEL Eph. Germ. ann. I. obs. 43.

In *renibus* viri cardialgia extincti vesiculas nonnullas aqua
plenas fusca offendit *Joh. BILGER ap. Gr. HORST. tom. I.*
p. m. 142.

In *renibus* cystides pendulas aqua citrina oppletas conspexit
Maurit. CORDÆVS comm. 5. ad l. 1. HIPPOCR. de morb. mul.

In rustici annor. CLII. & IX. mensium *anteriore renum facie* non-
nulli aquei abscessus, ut videbatur, reperti sunt, quorum unus magnus
erat instar ovi gallinacei, flavescente aqua repletus, quæ orbicularem in
rene impresserat figuram. *Guil. HARVEJVS in act. Reg. Societ. Angl.*
ann. 1668. & 1669.

Hydropicæ mulieris *vesicam* vesicis plenam reperit *CORDÆVS l. a.*
Per meatus urinarios & anum hydatides excerni aliquando obser-
vavit *WARTHON, adenograph. cap. XI.*

Inter *vesicam & intestinum rectum* in ariete hermaphrodito occur-
rit hydatis insignis pyri mediocris magnitudine ad ℥ij aquæ limpi-
dissimæ continens. *J. J. WEPFER Eph. Germ. ann. 3. obs. 167.*

In femi-

In feminæ ascite extinctæ *lumborum* regione hydatides frequentes conspexit D. GLASER ap. BONET. *an. pr. l. 3. f. 21. obs. 21. §. 1.*

Versus *lumbos* frequentes hydatides seu membranaceos aqua scattentes folliculos in adolescente XVI. annor. ascitico observavit idem Henr. GLASER ap. J. C. PEYER *meth. hist. anatom. Med. c. 6.*

In multis porcis apparuerunt ova quædam sine testâ *lumborum vertebra* appensa, ovorum gallinaceorum magnitudine, præter aquam limpida nil continentia, Thom. BARTHOLIN. *cent. 2. hist. anat. 67.*

Quia vasa lymphatica in testibus tum virilibus tum femininis reperta sunt, (vide supra) in *testibus* p. n. quandoque observantur hydatides. MVRALT. *l. a. §. 10.* & GRAAF. *de O. M. c. 12. p. m. 297.*

In puella, quæ XX. annum non longè prætervecta videbatur, hydatidem *testiculi sinistri* locum occupantem, (is enim aberat,) quæ magnitudine ovum anserinum longè superabat, & in cane circa dictum locum ad magnitudinem ovi gallinacei, invenit Theod. KERCKRING *fficil. anat. obs. X.*

Semel in sex tantum modò mensium puella hydatidem ad *dextrum testiculum* magnitudine ovi columbini reperit idem KERCKRING. *l. a.*

In femina annor. 40; ascite lenta & hydrope pectoris mortua *testiculo sinistro* accrevit vesicula aqua plena, avellanæ majoris magnitudine. Christoph. HARDER *Ephem. Germ. cur. ann. 1672. obs. 180.*

Mulieris hydrope testium extinctæ *testis sinister* magnitudinem mali cydonii excedens, multis magnisque hydatidibus scatebat, ut & in *dextro testiculo* circum circa multi parvi tumores, sive hydatides, Caspar. BAVHIN. *append. ad Rouffet. de partu cesar. histor. VII. p. m. 361. 362.*

Vesiculam magnam lymphâ refertam in *testibus* infanticidæ Hafniæ invenit Thom. BARTHOLIN. *A. R. l. 1. c. 26. edit. noviss.* & vesiculam aliam sero plenam *loco dextri testiculi* in adultera Parisina notavit BORICHIVS allegant. BARTHOLIN. *l. a.*

Dissecto cadavere feminæ annor. 50. fluore albo copioso correptæ, circa *testiculos*, utroque in latere, hydatides sat magnæ conspiciantur, lymphâ turgentes insipida. Ex literis Joh. de MVRALT. ad Joh. Conrad. PEYER *Med. Schafhus. d. 27. August. 1677. amicè BONET. communicat. in anat. pract. lib. 3. sect. 36. obs. I. §. 1.*

Ancillæ ex subpressis mensibus tumore ventris laborantis testes ple-
nos vesicis aquosis vidit *Joh. HEINZIVS* ap. *SCHENCK obs. l. 3. de hydrop.*
obs. 6. p. m. 432.

Ex splendidis vesiculis per testium substantiam hydatidum in modum
dispersis simplici tunica resecta copiosum serum manasse in puerpera ob-
servavit *Thom. BARTHOLIN. cent. 1. hist. anat. 92.*

In ovaris piscis torpedinis hydatides seu vesiculæ aquosæ apparue-
runt, teste *Olig. JACOBÆI act. Hafn. Med. Thom. BARTHOLIN.*
ann. 1677. 78. 79. obs. 97.

Hydatidis minor inter vasa ejaculatoria in ariete hermaphrodito sita
erat. *Joh. WEPFER Eph. Germ. cur. ann. 1672. ob. 167.*

Hydatides intra elybroidem testium tunicam deprehendit *Joh. Theod.*
SCHENCK. hist. ser. sang. c. 7. §. 24.

Quoniam verò in testiculorum substantia, vel ejus membranis vesicu-
larum genus ovis persimile quandoque reperitur, differentia inter illud
& ova sæpius observatæ sunt tales; Vesicularum illud genus hydatidum
nomine notum, duplici ordinario constat tunica, cujus interior licet tenuis-
sima sit, ab exteriori tamen haud difficulter separatur, nec liquor in illis con-
tensus coctione facilè indurescit: (quod verum esse in liquoris duarum
hydatidum instituta coctione nuper expertus sum) consentit quoque *Th.*
BARTHOLIN. cent. 2. hist. anat. 67. atque *Casp. BARTHOLIN. Th.*
F. de ovaris mulier. p. m. 53. & 60. Contra v. communes ovarum tunicæ
à se invicem ægrè dividuntur, atque illorum liquor coctione facilè indure-
scit; hinc semper, quotiescunque vesiculas in excoctis testibus indura-
to, liquidoque humore plenas invenimus, has hydatides, illas ova esse ju-
dicavimus: quibus addendum, quòd hydatides aliquando à testiculo-
rum membranis, veluti à pediculo propendeant, quod nunquam de ve-
ris foemellarum ovis hæctenus observare potuimus. *Regn. de GRAAF*
de org. mul. generat. inservient. cap. XII. p. m. 301. 302.

Anno 1678. d. 17. Junij in virgine paupercula annor. 43.
per 18. annos abdominis tumore laborante dextra uteri tube su-
perficiei externæ multæ vesiculæ aquosæ adhærebant, & in latere obposito
eodem in loco tumor conspiciebatur continens in se plurimas vesicu-
las limpido humore repletas. *Joh. MEY, disp. de admirand. dextra*
tuba uterina hydrope præside Joh. MVNNICKS Anatom. Lectore publ. Ul-
traject. 1678. conf. ex eo Nicol. de BLEGNY Zodiac. Med. Gallic. ann. I. seu
1679. mensis Junii obs. IX. p. m. 102.

In uteri
tubis.

Anno 1675. in puellæ XIV. circiter annor. ventris intumescencia laborantis *tubâ uteri dextrâ* vesiculas multas, quarum quædam materiam continebant aqueam, claram, tenuem, aliæ subrubram, viscidam, glutinosam, animadvertit *Gerhard. BLASIVS obs. Med. rarior. IX. part. I.*

In Anglâ muliere, quæ Leucorrhæâ per plures annos decubuit, & tandem corrosivis matricis ulceribus miserè obiit, unâ cum *Fr. de le boë SYLVIO* ann. 1668. d. 14. Maij Lugd. Batav. ad testes, in *tubarum extremitate*, hydatides utrinque magnas adfuisse deprehendit *f. de MVRALTO exercit. de lymph. & salivâ in annex. §. XI.*

In apertione cadaveris feminæ gravidæ, hypochondriacæ & hæmoptoicæ varias vesiculas aquâ repletas, hydatides dictas, in *extremâ parte turbarum uteri* observavit *Francisc. de le boë SYLVIVS*, teste *Matthia PAISENIO* in *Ephem. Germ. Acad. nat. curios. ann. IV. & V. obs. CXCIV.*

Circa *alâs vesperitilionum*, & *tubos cacos FALLOPIANOS* sæpè hydatides vidit *Theodor. KERCKRING spicil. anat. obs. X.*

In *foliaceo tubarum ornamento* quandoque hydatides excrescunt. *R. de GRAAF de O. M. cap. 14. p. m. 337.*

Notandum in *uteri collo* inter rugas, seu fibras potiùs, sæpè numero hydatidas diversæ magnitudinis reperiri. *Regn. de GRAAF de O. M. c. 8. p. m. 237.* *In ès ex Vtero.*

In femina hydropica *uterum* vesicis aqua limpida plenis scatentem vidit. *Maurit. CORDÆVS loc. sæpius cit.*

Mulier ann. 50. in *uteri* hydropem incidit; cujus toto ambitu & membrana exteriori, magis tamen in sinistra parte, vesiculæ erant majores quædam, aliæ minores, humore viscido, pituitoso & albicante plenæ, quæ vitrum liquefactum præ se ferebant. Ex observatt. *Adolph. OCCONIS. cit BONET. A. pract. f. m. 1137.*

Hydatides variæ in sinistro latere *uteri* ligamento aliformi in hærebant, magnitudinis valdè diversæ, granum hordei ferè repræsentantes, liquorem dissectæ exhibebant clarum, aqueum, ast lentum aliquo modo. Similis conditionis una, at longè reliquis major, in dextro latere notabatur. *Gerhard. BLASIVS obs. anat. pract. in homine p. m. 24.*

Anno 1675. in cadavere mulieris annor. 30. per 7. menses fluxu albo laborantis in utroque latere, loco testibus vicino, *cornubus uteri*

uteri adhærebat vesica, quarum dextra ovi gallinacei magnitudinem habebat, liquore gelatinoso, pellucido. subflavo repleta, sinistra vix juglandis, aquosa magis. *BLASIVS obs. rar. V. part. V.*

Utrumque hydropicæ *uteri coram* continuisse novem circiter aquæ purisque libras, inclusas innumeris vesicis, quarum aliquas etiam ostendebat *extima uteri tunica*, notavit *Nicol. TVLP. obs. l. 4. cap. 45.*

Molam rotundam ex pluribus vesicis, juglandis magnitudine, compositam, quæ admodum erant crassæ & tenaces, aqua repletæ, obductæ & intertextæ multis fibrosis ligamentis *in utero* observavit *Frid. LOSSIVS obs. 16. l. 4.*

In nobilis matronæ *utero* post mortem aperto, globuli connexi splendida lymphæ gelatina pleni inventi, quorum particulas etiam ante excrevit, quàm fatis cederet. *Thom. BARTHOLIN. dissert. de bibliotheca incend. §. 6.*

De muliere, quæ, cùm prægnans crederetur, post sex aut octo gestationis menses magnis abortis doloribus ingentem peperit membranaceum globum vel substantiam vesicis rotundis, tumidis, pellucidis & aqua plenis refertam, tanta copia atq; numero, ut comprehendi posse nullo pacto viderentur; ut & de alia uxore, quæ & ipsa parem membranam bullis innumeris confertissimam post sex gestationis menses (& ipsa quoque decepta) ejecit. vid. *VALLERIOI. lib. 1. obs. 10. f. m. 52.* ubi de harum vesicarum causis & remediis congruis, quibus hæ duæ convaluere, fusiùs.

Mulier secundo vel tertio ingravidationis mense vesiculam quandam aqua plenam *per muliebria* absque placenta, subsequente maximo lochiorum fluxu per VI. vel VII. menses durante, excrevit ap. *Regn. de GRAAF de org. mul. cap. 8. p. m. 250. & Eph. Germ. cur. ann. 1. obs. 128.*

Femina, quæ constantissimè contendebat se in utero gestare fœtum vivum, quem moveri dicebat, remediis adhibitis supra septuaginta vesicas membranosas ac membranis hærentes, aqua pallida plenas, castanæ quantitatis, sexto mense *ab utero* excrevit. *Christoph. à VEGA l. 3. sect. 10. cap. 13. art. Med.*

In placenta hydatides quatuor invenit *Joh. Guilhelmus RIVA Eph. Germ. cur. ann. 1670. obs. 39.*

Bononiæ fabro cuidam lignario maximus in dorso tumor, ita ut gibbosus videretur, exortus fuit. Cumque maturationis signa appare-

In Placenta.

Ex dorso extracta.

appare-

apparerent, abscessus novaculâ apertus. Quo facto 50. ova, seu vesiculæ tenuissimâ membranulâ obductæ, intus limpidissimâ aquâ plenæ repertæ sunt. SCHENCK *obs. Med. l. 5. de dorso & spinâ obs. s. p. m. 371. ex SCHOLZII obs. propr. communicat.*

Diaphragma, parte quâ imum ventrem respicit, hydatidibus coopertum in puero maniaco à se dissecto observavit Theoph. BONET. *sepulchret. l. 1. sect. 8. obs. 2. & in schol. ad l. d.* In Dia-
phragma-
te.

Hydatides aliquot ingentes limpidâ aquâ repletas ad diaphragma in cadavere viri repentinâ morte extincti reperit. Ott. HEVRN. *obs. 14. & Thom. BARTHOLIN. cent. 2. obs. 66.*

In phthifici cadavere ad diaphragma & pleuram vesicæ aliquot insignes aquâ turgentes se offerebant. Ott. HEVRN. *obs. 18.*

In celsissimi cujusdam Principis melancholia hypochondriaca affecti medio ventre visæ sunt duæ hydatides, ab humero usque ad septum transversum, inter pulmones & pleuram, aqua, velut glaciata, repletæ. Anton. de POZZIS *Ephem. Germ. curios. ann. IV. & V. obs. 29.* In medio
ventre.

In plerisque pectoris locis hydatides adnatas in puero maniaco conspexit Theophil. BONET. *anat. pract. l. 1. sect. 8. obs. 2. in schol.*

In femina hydropica pericardium vesiculis plenum observavit Maurit. CORDÆVS *loc. sapius alleg.* In Pericardio.

In sordis membranâ in palpitationi cordis subjectis ægris hydatides reperit celeberrimus Jenensium Æsculapius Guern. ROLFINC. *epit. meth. cogn. & curand. particul. c. h. aff. l. 2. part. 2. cap. 1.*

Secundo cadavere mulieris sæpius supra citat. ex BALLON. *parad. 226.* Cor ipsum oblitum erat vesiculis aqua purissima plenis, nihilque graveolens habebat. In corde.

In Corde feminæ hydropicæ cystides pendulæ, aqua citrina oppletæ conspectæ à Maurit. CORDÆO l. d.

In corde puellæ quadrimestris circa eam partem, ubi arteria magna exoritur, vesicula propendebat duplici tunica. instar ipsius arteriæ prædita; in qua succus continebatur aliquam amaritudinem resipiens. Theodor. KERCKRING. *spicil. anat. obs. 83.*

Cordis ventriculum dextrum p. n. mollem & flaccidum apertum hydatidibus obsessum ann. 1671. d. 26. April. in ancilla hydropica observavit Ludov. SALTZMANN *diff. inaug. de abscess. intern. cum hydropo & aliis. Argentor.*

In anatomia leænæ junioris hæctica cum hydrope laborantis cor hydatide ad magnitudinem avellanæ versus dextram auriculam affectum spectabatur. *J. Jacob. GREISELIVS Ephem. Germ. Curios. ann. 1671. obs. V. & Laurent. WOLFSTRIGEL Ephem. Germ. cur. ann. 1671. obs. 6.*

In Pulmonibus.

Cognatum hydropi malum sunt hydatides *pulmonis*, vesicæ scilicet aqua plenæ, quæ externam ejus superficiem occupant, quæque oriuntur ex seroso & tenui humore, qui ratam pulmonis substantiam pertransit, & sub membrana ejus, quæ densior est, hæret & subsistit, ut ait *Dan. SENNERT. Med. pract. l. 2. part. 2. cap. 9.*

De quo *HIPP. l. de intern. affect. sect. 25. §. 9. 10. 11. 12. p. m. 226. oper. HIPP. vol. 2.* (utor enim editione *Joh. Antonid. van der LINDEN Lugd. Batav. ann. 1665. in. 8.*) Fit hydrops, si tubercula in pulmone fuerint enata & aqua repleta & in pectore rupta. Quod autem fiat etiã à tuberculis aqua intercutem, testimonium habeo & in bove, & in cane, & in sue. In his enim quadrupedibus maximè fiunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent; Si enim dissecueris, citissimè cognoveris, nam fluat aqua. Hæc *HIPPOCRAT. l. a.*

In Pulmone Cardinalis Gaetani asthmatici vesicæ, quibus apertis aqua exibat flavum colorem referens, deprehendit *Laluis à FONTE. consult. VIII.*

Pulmo in nobili adolescente orthopnoea inveterata & febre funesta laborante vesicis humore consistente lentoque & pellucido instar albuminis ovi prægnantibus refertus erat. *Carol. PISO de morb. thorac. intern à serosa colluvie p. m. 216.*

In puella hydrope thoracis suffocata *pulmones* multis parvis hydatidibus erant obstr. *J. V. WILLIVS act. Hafn. Th. BARTHOLIN. ann. 1674. 75. 76. vol. 3. obs. 76. p. m. 134.*

Bovum respiratione anhela & tussicula laborantium *pulmones* innumerabilibus hydatidibus erant referti; In vacca unius *pulmonibus* numeravi 17. exterius, sed copiosiores intra ipsos *pulmones* latentes numerum non admittebant. Non tenues pelliculæ has inolvebant, sed crassæ membranæ, vulneratæ limpidum cruorem profuderunt, quædam, at pauciores, flavescerent. In alia vacca *dexter pulmo* una hydatis videbatur. *Joh. Valentin. WILLIVS act. Med. BARTHOLIN. l. a. p. m. 132.*

Pulmonem vesicis quibusdam aqua viscidâ plenis repletum annotavit Hieron FABER ap. SCHENCK *obs. l. 2. de pulm. p. m. 232.*

In inferiore *pulmonum* loco ad diaphragma hydatides aliquot ingentes limpida aqua repletas, quæ fontis instar thoracis dextram partem aquarum copia inundaverant, & thoracis hydropem acciverant, in viro repentina morte extincto invenerunt p. m. Thom. BARTHOLIN. *cent. 2. obs. 66.* & O. HEVRN. *obs. 14.*

Pulmones vesiculis aqua purissima & limpidissima, nihilque graveolens habente plenis, triplici tunica præditis, & quæ integræ à corpore detrahi poterant, in muliere ob abdominis tumorem mortua obfiti erant. BALLONIVS *parad. 186.*

Vesiculas, quæ Gr. *υδατιδες* dicuntur, in *pulmonum* interstitiis frequenter observavit Marcell. MALPIGHIVS de *pulmon. epist. 1. ad Alphons. BORELLIVM annex.* BARTHOLIN. *diatrib. de motu & substantia pulmon. p. m. 109.*

Rusticum, qui vesicas aqua refertas, veluti piscium, extussiendo rejiceret, vidit OETHÆVS ap. SCHENCK *obs. Med. l. 2. de pulmonib. p. m. 250.*

Ex pulmonibus rejectæ.

Anno 1569. tabida mulier triennali tussi vexata, cum nullis medicamentis levaretur, tandem phlegmatica multa excreavit, pauld post etiam vesicellam, colore, magnitudine, & forma cyprini piscis, per screatum rejecit & convaluit. SCHENCK *l. a.*

In fetus abortivi cavitate thoracis sub jugulo dextro lucidam vesicam aqua plenam aspera arterie adherentem, quæ copiosa humoris inundatione, quam recipiebat à capite in pueris valdè humido, eventilationem cordis prohibuerat ipsum suffocando, invenit Dom. PANAROL. *pent. 1. obs. V.*

Arteria aspera adherens.

Rustica malè diu habens ex ventriculo à circumforaneo edocta ex colocynthide biberat, quo factò multa pituitosa cum vesicula, cui inclusa fuit aqua flavescens, evomit. Esaias MEICHSNER. ap. SCHENCK *l. 3. obs. 2. tit. de lumbricis.*

Per Os excreta.

Anno 1671. in infante XIII. septimanarum capitis tumoribus variis illud deforme reddentibus laborante tumor quidam vesiculam repræsentabat hydatidibus variis donatam. Continebant hæ figura & magnitudine differentes, lympham modò liquidam modò viscidiorum: quod verò ab hydatidibus liberum, limpidissimam exhibebat aquam, Gerhard. BLASIVS *obs. rarior Med. 1. part. 1.*

In Capite.

In nari-
bus.

D. Paulo MOTHO Archiatro Regio, ætatis ingravescentis, per narium cavitatem prolabitur vesicula oblonga, rotunda, candida, sero plena, ea verò vesica membranosa sæpè in narium medio subsistit, sæpè extra nares propendit, levi digitorum impulsu sursum ad caput retruditur, naresque deserit; sed circa os ethmoides olfactum & spirationem impedit; uti inquit Th. BARTHOLIN. cent. 6. hist. 37.

In Palpe-
bris.

Ab his nostris hydatidibus planè diversus est affectus palpebrarum ydæris, Lat. vesica, seu aquula dictus. AVICENN. 33. tract. 3. cap. 17. Alsarnac appellatur ap. ZACVT. Lusitan. de Med. Princ. histor. l. 2. dubio 26. quæ est substantia quædam pinguis palpebræ cuti p. n. substrata. Paul. ÆGINETA de re Med. lib. VI. c. 14. quem conf. ubi pluribus. vid. MAN ARD. l. 7. epist. 2. tit. de ocul. affectib. seu

Ydæris nihil aliud est quàm substantia pinguis, ut adipis frustulum sub palpebræ superioris cute latitans, unde tota palpebra in infantibus œdematosa fit; uti describitur à Joh. Andr. SCHMITZ. compend. Med. pract. p. m. 185. vel

Est substantiæ unctuosæ in palpebrâ superiore incrementum, humorem ante lucanis præsertim horis perpetuo fundens. Joh. JONSTON. syntagm. univ. Med. pract. part. 3. l. 3. tit. 3. cap. 1. & ÆGINETA l. a. Hydatides itaque palpebrarum pinguedinem, nostræ verò aquosum liquorem continent.

In nervis
opticis.

Anno 1590. virgo annor. 18. paucis ante obitum diebus cœcitate correpta fuit, qua uterque oculus clarus quidem existebat, nec aut in membranis, aut humoribus vitii aliquid apparebat, ipsa tamen nec lumen quidem candelæ oculis admotæ percipiebat. Aperto cranio insignem vesicam, quæ nervos opticos occupârat circa crucifixionem; & qua novacula pertusa circiter libra semis aqueæ materiæ limpidissimæ effluxit, reperit Pet. PAWIVS obs. anat. 2.

In Cerebro,
ejusque
partibus.

In puella sine cerebro nata deprehendi totam cerebri putatitiâ molem esse corpus ex plurimis vesiculis à summo ad basin cranii seu conglomeratum seu combinatum, quæ vesiculæ nunc caltro nunc digitis segregatæ tenuissimis cohærebant fibrillis, per spatia intermedia vasis sanguiferis intercedentibus, & quamlibet vesiculam minutissimis ac rutilis vasis decorantibus. Vesicularum numerum inire nequivi; quædam juglandis magnitudine, pleræque multò minores conspectæ fuerant; figura inæquales erant, quædam rotundæ, quædam

dam ovales, quædam ad latera compressæ, angulosæ & acuminatæ, prout scilicet complementum cerebri hujus spurii situm illarum & figuram nunc hanc, nunc illam natura omne spatium inane declinans, postulaverat: Omnes, paucissimis exceptis, aquam limpidissimam intra sinus suos coërcebant, quam faucibus & pressæ cum impetu projecerunt, integræ v. ne guttulam quidem vel profuderunt, vel vicinæ subpediârunt, ceu omni exitu privatæ, hydatidum plerarumque more, quæ alibi nonnunquam in cadaveribus animalium reperiuntur. Totus vesicularum acervus tantus erat, ut cerebrum & cerebellum fetus humani vel æquaret, vel superaret; sunt verba I. I. WEPFER. *Eph. Germ. cur. anno 1672. obs. 129. cum. schol.*

Anno 1659 in puellæ annorum circiter octo, quæ per plures annos & ad obitum usque de gravitate capitis conquesta fuit, medio cerebro inventus abscessus serosus sive cystis sero referta. *Theoph. BONET. anat. præct. l. 1. sect. 1. obs. 46. §. 2.*

In cerebri substantiâ cystis seu sacculus, robusta membrana compactaque contextus, undique serosum humorem continens, in fundo exiguum foramen habens, unde novam materiam nervis linguæ suggererat, in viro, ob perpetuam, quam diu vixit, ad nervos motui linguæ destinatos destillationem balbutiente, auctaque fluxione extincto, inventus. *Lazar RIVER. observ. additar. VII.*

In mercatoris ann. XL. cephalalgia extincti anteriore cerebri parte circa frontem repertus exiguus abscessus avellanæ magnitudine, sero plenus, ad levem contactum diffiliens. Vid. *BONET. an. præct. l. 1. sect. 1. obs. 2.*

Anno 1648, in puellâ annor. XII. dolore fixo verticis mortuâ aperto cranio chirurgus digitis abscessum rupit, *natibus & insundibulo cerebri* inhærentem, ex quo statim aqua clarissima cum impetu, & ad libras duas exivit, quasi è fonte scaturiens, & in altum profiliens. *Petrus BORELL. obs. cent. 1. obs. 38.*

Anno 1634. inter cerebrum & piam matrem abscessum instar vesicæ piscium, aqua limpidissima repletum in ovicula vertigine laborante, ut & anno. 1645. in oviculâ simili vertigine interemtâ in sinistro occipitis quasi latere sub dura matre folliculum instar vesicæ piscium, crassum, aqua repletum; nec non in muliere, quæ per annum de sola vertigine gravissimas querelas habuit, & tandem apoplexia fortissima subitò obiit, in sinistro cerebri latere tumorem, quoad folliculum & materiam conten-

tam superiorum duorum postremo non ab similem, qui magnitudinem
 ovi gallinæ mediocris adæquans tertium cerebri ventriculum ex parte com-
 pressit, observavit SCVLTETVS *armament: chirurg. obs. X. & XI.*

In ventri-
 culis cere-
 bri

Vesiculas aqueo & seroso humore plenas, in tertio ventriculo conspici-
 xit totius medicinæ ornamentum (teste Frid. HOFFMAN de M. M. p.
 m. 34.) *Guern. ROLFINC: dissertat: anat: lib. 1. c. 13.*

In juvenæ crebrius in pascuis vertigine correptæ ventriculo cerebri
sinistro vesicam tenerrimam totam ejus anteriorem partem occupantem,
 quam citra ulteriorem lacerationem integram extraxit, superantem o-
 vum gallinacum magnitudine, vertiginis causam anno 1650. invenit
 WEPFER *exercit. de loc. affect. in apoplex. p. m. 69.*

Ex ventriculo cerebri jumentum vertigine laborantis aliquot hydatides
 extractæ. Verum cum pluribus hydatidibus, quarum quædam nucem
 moschatâ non minores erant, eductis vertigo non cessaret, jumentum
 mactatum fuit. In cujus ventriculis cerebri, præcipue sinistro, & pariete in-
 tergerino cerebrum à cerebello distinguente, ubi cerebrum respicit, pluri-
 mæ inventæ pleræque instar ovorum serpentiorum aut lacertarum co-
 hærentes, & tum internæ ventriculorum membranæ medullam operien-
 ti, tum dicto parieti accretæ. *WEPFER de apoplex. hist. apopl. XIV.
 in schol. p. m. 405.*

In virginis 23 annor. dextro cerebri ventriculo abscessum ovi gallinacum
 magnitudine, peculiari tunica, crassiuscæ pennæ columbinæ vestitum, quo
 folliculo inciso aqua turbida subfusca effluxit, reperit idem WEPFER
hist. apopl. XIV.

Supra cor-
 pui callo-
 sum.

In apoplectico vesicæ aliquot rotundæ, albidæ, humore pituitoso
 repletæ, supra corpus callosum inventæ fuerunt; *Domin. PANAROLL.
 pent. 1. obs. XVII.*

In plexu
 choroide.

In dextro plexu choroideo femine apoplecticæ plures hydatides,
 quarum quædam pisco majores, in sinistro itidem plures, quarum una nucem
 avellana major, angulosa, instar humoris crystallini perspicua, solida-
 que, visæ sunt à Job. Jac. WEPFER, *dissertat. de apoplex. hist. apoplect. XV.
 p. m. 415.*

In femina apoplectica aliquot hydatides parvulas plexui choroideo
 adnatas observavit idem WEPFER. *hist. apopl. III. p. m. 14.* quod &
 GALEN. se vidisse refert alleg. Job. FLAMMERDING. *diff. de
 apopl. th. X,*

In femina apoplectica plexui choroideo hydatis parva adhæsit; teste
 dicto

dicto *WEPFER. histor. apopl. 2. p. m. 10. & FLAMMERDING. diss. de apopl. l. a.*

In vituli anniculi inter armenta sua ob vertiginem semper ad latus inclinantis ab aliquot septimanis, *plexu choroideo*, ubi ejus ala cum sinistra jungitur, prope glandulam pinealem, hydatis apparuit. *Joh. Jac. WEPFER. hist. apopl. XIV. in schol. p. m. 406.*

In puero præ nimia pinguedine extincto *plexum choroideum* hydatis obsessum, quarum una ad nucis avellanæ excreverat magnitudinem, invenit *Theodor. KERCKRING. obs. anat. LXVI.*

In *plexu choroide* parvas hydatis aliquot vidit dictus *KERCKRING obs. X.*

In illustri matrona annor. 80. valde plethorica, apoplexia extinctâ *plexus choroides* per omnem suum intra ventriculos anteriores decursum vesiculis aqueis tumidissimis adunatis & conglobatis refertus erat. Ex observat. *Carol. DRELINCOVRT. Lugd. Batav. Professor. pract. & anatom. ap. Joh. FLAMMERDING. l. a.*

In suspenso furis *plexu choroide* plurimas vesiculas vidit *Th. BARTHOLIN. hist. anat. rarior. cent. 1. hist. 32. §. 34.*

Circa arterias rarò licet, vel nunquam hæctenus, præterquam in obs. infra citand. hydatis invenerit *KERCKRING* (uti ipse fatetur *observat. X. & LXX.*) quamplurimas tamen circa arterias temporales in puero in caput cadente, maximis capitis doloribus laborante, &c. & postremò apoplexiâ extincto hydatis reperit dictus *Theodor. KERCKRING. chymicus & professor celeberrimus spicil. anat. obs. LXX.* quarum pars incrassatis humoribus atheromata, pars steatomata, & quædam etiam melicerides referebant. (sic in abdomine fœminæ hydropticæ primò lympham tenuem & fluidam, deinde gelatinam, tertio concretam, tandem duram & steatomaticam vidit practicus apud Amstelodamenses celeberrimus *Paulus BARBETTE prax. l. 4. c. 4.*)

Circa arterias temporales.

Rarum circa arterias temporum emeruisse hydatis, cum venas tantum lymphatica vasa ambire anima dversum sit, *Theophil. BONET. anat. pract. l. 4. sect. 3. obs. 2. §. 6. in scholiis.* attamen plurima vascula lymphatica arteriam splenicam nervosque concomitantia ex interiore lienis parte prodeuntia observavit *Frid. RVYSCH. cit. DIEMERBROECK anat. l. 1. c. 12.*

Signa

Signa diagnostica hydatidum tradere difficile esse superius diximus, cum oculatissimum ea lateant Medicum, & vix nisi per cultrum anatomicum detectæ in conspectum veniant, nisi in illis saltem partibus ubi excernuntur, de quibus supra. Interim tamen si quis post motum violentum frigidam copiosè hauriat, vid. p. 6. nec debitâ quantitate & modo iterum excernat, nullam congelationem sanguinis indeque nata symptomata sentiat, sed successu temporis ardorem in partibus internis hinc inde dispersum, continuum tamen & mordicantem observet, si adsit gravitas vel lassitudo in partibus hydatidibus obsessis citra aliam causam, vel si hæc & similia signa in illis manifestentur qui debilitate viscerum aut cachexiâ laborant, vel qui siti urgentur paucissimas verò reddunt urinas, nec hydropici evadunt, hydatidibus illos laborare credibile est; ita dantur & alia signa communia partis affectæ, e. g. Vertigo in capite &c. de quibus in prognosi.

Quod attinet noxam ex hydatidibus nostris oriundam, varia illa est.

Hydrops illas sæpè esse causas si rumpantur, non opus est ulteriori probatione & satis superque testantur historiae hydropicorum, multâ n. eorum, quos allegavi, hydrope fuère extincti: non tamen semper hydropem pariunt ita censente *SCHENCK. exerc. anat. 6. l. 1. sect. 2. c. 25.* nec sunt ipse hydrops. conf. *Theod. KERCKRING. obs. anat. 10.*

In renibus existentes *ischuria* causæ esse possunt, teste *Georg. SEGER. Ephem. Germ. ann. 1671. obs. 23.* conf. *Luc. SCHROECK. Eph. Germ. ann. IX. & X. obs. 179.*

In pericardio palpitationi cordis subjectorum hydatides reperit *ROLFINC. epit. meth. cogn. & curand. particul. corp. hum. aff. l. 2. part. 2. c. 1.*

In pulmone hydatides *asthma* & *orthopnoeam* creare posse testantur historiae *Lalii à FONTE, Valentini WILLII,* atque *Car. PISONIS II. dd.*

In pectore disruptæ & aquas in thoracis cavitatem dimittentes *pectoris hydropem* producant. *Thom. WILLIS pharm. rat. part. 2. sect. 1. cap. 13. uti in capite hydrocephalum &c.*

In illis, qui *cephalalgia* sunt extincti, abscessus serosi in cerebro sunt inventi, teste *BONET. anat. pract. l. 1. sect. 1. obs. 2. & obs. 46. §. 2.* *BORELL. cent. 1. obs. 38.*

Vertiginum gravissimarum causam nonnunquam esse vesiculas aqueo humore plenas in ventriculo cerebri tertio conspicabiles plus vice simplici in ovibus & semel in homine animadvertit ROLFINC. *dissert. anat. l. 1. c. 13.* hydatides cerebri vertiginis causam agnoscit quoque WEPFER. *exerc. de loc. affect. in apopl. p. m. 69. hist. apopl. XIV. in schol. p. m. 405. & 406. & Joh. SCVLTEVS. armament chirurg., obs. X. & XI.*

Hydatides supra corpus callosum apoplexia immediatam fuisse causam existimatum fuit ap. PANAROLL. *pent. 1. obs. 17.*

In plexu choroides ubi inventæ, plerumque fecerunt apoplecticas vid. WEPFER *hist. apopl. 2. p. m. 10. hist. 3. p. m. 14. & hist. XV. p. 415. Joh. FLAMMERDING diss. de apopl. thes. X. Lugd. Batav. 1671. præside Carol. DRELINCOVRT. conf. Theodor. KERCKRING. spicil. anat. obs. 70. & SCVLTEVS l. d.*

Curacionem tandem quod attinet, cum hæc in multis conveniat cura hydropis ascitis curacione, eaque passim apud Authores præstantissimos præscripta inveniat, & in hac aliisque cathedris defensa sit, non erimus fusiores; in genere itaque præmonuisse sufficiat curacionem hujus morbi aggressurum, ne eam, nisi prævio prognostico, in se suscipiat; cum ob malum latens facile decipi possit. 2. ne desperet de successu & operatione remedium, si effectus non statim sequatur: morbus enim chronicus est, qui interdum inducias, interdum variantia requirit remedia, nec uno ictu vel brevi tempore expelli potest. 3. ut forti constantique exinde sit animo, ut, ubi mitioribus medicamentis nihil proficit, generosioribus remediis malum expugnare, cautâ sagacitate, possit. 4. ne quoad methodum, dependeat à sola Authoritate celebris alicujus Practici: sed potiùs quid doceat diligentissime examinet; Non enim sentimus cum illis, qui Hippocratem nec fallere nec falli posse stultè sibi persuadent.

Sentimus verò cum iis, qui primò suadent aperientia, qualia sunt inter cætera cochlear. carduus benedict. fœnicul. pimpinell. nasturt. aqu. gratiol. laureol. soldanella, flores genist. summitat. juniper. absinth. rad. raphan. Armor. allii, cost. ver. gramin. cyclamin. petrosel. pimpin. rub. Tarax. urtic. Samb. Sem. napi, nigell. petros. decoct. lignor. vel chin. cum rad. sarsaparill. &c. Spir. armon. ♂. Spir. hypochondr. spir. tartar. nitr. sal. terebinth. mixtur. de trib. & simil.

Brodbequius laudat salia acida & lixiviosa, crystall. tartar. tartar. vitriol. nitr. præpar.

Excell. D. Præses commendat tincturam suam, quam anodynā vocat, tincturam mari veri, spirit. vitrioli Martis. &c.

Sequantur deinde purgantia, ex quibus alii laudant decoctum Colocynthid. extract. diaesul. veratri nigr. pilul. cochiar. magister, lapid. Lazul. gumm. gutt. trochiscos alhandal. & similia :: alii Magisterium gialapii ; alii Mercurium dulc. rectè paratum, qui in forma pilularum tutius quam in alia ex mente Brodbeckii datur, e. g.

℞. Extract. panchymag. Croll. gr. xvj.

℥. dulc. ritè sublimati gr. xij.

ol. carv. gt. ij.

cum Syr. diafer. Andernac. F. pilul.

videantur & alia c. l. descripta.

Nos tamen à ℥ii dulcis ab aliis parati usu meritò abstinemus, è docti aliquot exemplis ; quamvis experti ritè parati egregiarum virium, Præferimus tutiora minusque suspecta ex antea dictis, e. g.

℞. Magister, gialap.

Extract. cochiar.

diagryd. āā. ℥ss.

F. l. a. pilul. No. xxx.

S. Pilulen auff etliche mal.

vel ℞. Extr. elater.

diaesul.

Magist. gialap. āā. gr. iv.

M. F. pilul. No. xii.

S. Purgierpilulen.

vel ℞. Magister, gialap. gr. iiij.

Sal. tartar.

gumm. gutt. āā. gr. iij.

fach. cand. alb. ℥j.

M. exactiss. l. a. d.

S. Purgierzucker.

Varia enim & innumerabilia ferè in hunc usum concinnari possunt, uti ingens sylva harum in practicis videtur, ut vix videas quod alteri præferas, nisi individua & idiosyncrasias attendas.

Interim hæc non semel aut simul exhibere conveniet ; sed requiritur judicium sagacis doctique Medici, qui & terminum & intervalla purgantium hujusmodi probè determinet, ut plurimum tamen bis per septimanam purgantia apta in hoc affectu exhibuisse sufficit.

Intercalantur interea diligenter dicta aperientia. Nec reticenda videntur diaphoretica apta, qualia sunt salia volatilia viperar. serpent. succini, C. C. pulvis Comitissæ de Kent, (cujus descriptio vera typis nondum commissa est; quæ enim jam extant, adulteratæ, mancæ vel ineptæ existunt, & effectum eundem cum vero laudato arcano præstare nequeunt.) Laudant etiam hic electuarium Oruietanum, cujus descriptionem veram ex Camera Imperatoris Majestatis b. m. Magno Paulo communicatam latere nolumus, est vero sequens:

℞. Theriac. Androm. opt.
 Mithridat. opt. ā. ℥j.
 pulver. rad. anthor. ℥ss.
 lap. Bezoard. or. ℥ss.
 confect. alchem. ℥ss.
 conserv. ros. antiq. ℥j.
 flor. borragin.
 cichor. āā. unc. s.
 Syrup. de succ. citr. q. s. pro consist.

℞. Electuar. l. a.

Alias descriptiones hujus electuarii tradit Cl. Simon Pauli in quadripart. botan. Class. 2, p. m. 125, & 126.

Laudat etiam Rolfinckius ☩ diaphoreticum, aquas destillatas Sambuci, carduibenedicti, CC. philosophice calcinatum, sal absinthii, magisterium spinæ viperæ, spir. urin. spir. sal. volatili, sal. dulc. & similia aperientia & sudores vel urinas pellentia.

℞. Sal. stipit. fabar.
 genist.

ebul. vel sambuc. an. ℥j.

℞. Harnntreibend Salt.

vel ℞. Sal. genist.
 absinth.

sim. columbin. an. ℥ss. S. u. s.

In casu desperato cantharides nonnullos exhibere Brodbeckius c. l. docet e. g.

℞. Cantharid. i. absque cap. & ped.

sem. frig. maj. mund. an. ℥ss.

sach. cand. violat. ℥ij.

gumm. ceras. aut tragacanth. ℥vj.

℞. pulv. dos. ℥j.

Nos verò de hoc pulvere parum emolumenti nobis pollicemur, nec credimus ullum inde periculum imminere.

Præferimus succum lumbricorum terrestrium cum aqua vit. amifat. &
 Spiritalis, vel sequens Faulianum ℞. ciner. stipit. fabar.
 genist.
 summit. juniper.
 vitis
 clematisf. flammulæ vulg.
 āā. Mj.

cum aqu. & vin. F. l. a. lixivium.

Proderunt & millepedes ppt. in vehiculo conveniente exhibit. & simil.
 Sed satis etiam de his.

Hæc dum exhibentur facultati vitali quoque erit prospiciendum;
 Commendamus eum in finem aquam Danicam, mirabilem dictam, spi-
 ritum Mastichinum D. Simonis Pauli, & Electuarium arcanum Rudol-
 phi Imperatoris sequens :

℞. Nuc. moschat. condit. No. ij.
 Myrobalan. Chebul. condit. No. iiij.
 rad. satyr. condit. ℥j.
 chocolat. Ind. ver. ℥iiij.
 Syr. cinam. spagyric. ppt. unc. iß.
 confect. alchem. Monspel. unc. i.
 ol. cinam ℥j.
 nuc. moschat. destillat. ℥ß.
 essent. Ambr.
 mosch. āā. ℥ij.
 M. F. l. a. electuar.
 S. Krafftlatberge.

quæ aliis sanè medicamentis in hunc finem exhibitis non cedent.

Dixtam quod concernit hæc pro ratione instituti calefaciens &
 siccans esto ; qualem facilè Medicus prudens præscribere, vel mutat.
 mutand. ex materia Medica Tilemanni &c. suadere poterit.

Ad specialio rem cuiusvis partis affectæ curationem hac vice de-
 scendere non licet, ne limites dissertationis transgrediamur : dabitur
 verò forsan in conflictu occasio fusiùs de ea agendi.

Hæc sufficiant. Tu Archiater Cœlestis benedicas cœptis, ut quem
 sibi præfixerunt scopum, fausto attingant fidere !

Tibi sit Laus, Honor & Gloria
 in sempiterna secula.